

futura. Insunt etiam in temporibus illa, quae temporis quasi naturam notant, ut hiems, ver, aestas, autumnus: aut anni tempora, ut mensis, ut dies, ut nox, hora, tempestas; quae sunt naturalia; fortuita autem, sacrificia, festi dies, nuptiae. Jam facta et eventus aut consilii sunt, aut imprudentiae; quae est aut in casu, aut in quadam animi permotione: casu, quum aliter cecidit, ac putatum sit; permotione, quum aut oblivio, aut error, aut metus, aut aliqua cupiditatis causa permovit. Est etiam in imprudentia necessitas ponenda. Rerum autem bonarum et malarum tria sunt genera. Nam aut in animis, aut in corporibus, aut extra esse possunt. Hujus igitur materiae, ad argumentum subjectae, perlustrandae animo partes erunt omnes, et ad id, quod agetur, ex singulis conjecturam capienda. Est etiam genus argumentorum aliud, quod ex facti vestigiis sumitur, ut telum, cruor, clamor editus, titubatio, permutatio coloris, oratio inconstans, tremor, et eorum aliquid, quod sensu percipi possit; etiamsi praeparatum aliquid, si communicatum cum aliquo, si postea visum, auditum, indicatum. Verisimilia autem partim singula movent suo pondere, partim, etiamsi videntur esse exigua per se, multum tamen, quum sunt coacervata, proficiunt. Atque in his verisimilibus insunt nonnunquam etiam certae rerum et propriae notae. Maximam autem facit fidem ad similitudinem veri, primum exemplum; deinde introducta rei similitudo; fabula etiam nonnunquam, etsi est incredibilis, tamen homines commovet.

De orat. I. 23. — Si ars ita definitur ex rebus penitus perspectis planeque cognitis, atque ab opinionis arbitrio sejunctis, *scientiaque* comprehensis, non mihi videtur ars oratoris esse ulla.

Acad. post. I. 12. — Nihil turpius, quam cognitioni et perceptioni assensionem approbationemque praecurrere.

De nat. Deor. I. 5. — Non tam auctoritatis in disputando, quam rationis momenta quaerenda sunt. Quin etiam